dura tegebat. Sed accessit ignis passionis, et sic cera liquefacta est, hoc est manifestata et intellecta est. Et bene myste-
ria domini cere comparantur, que te splendere reddit, cum ignis calore in usum luminis reliquata dissolvitur. Et hoc
in medio ventris, id est ecclesie, meus in medio divina misteria revelata patuerunt. Aruit tamquam testa virtus mea. Pulchre
virtutem suam dominus teste comparavit. Sicut enim prius molle lutum est, cum vero igne decoquitur, durescit et roboratur, ita virtus
humanitatis Christi igne passionis excocta ad immortalitatis et incorruptionis firmitatem convaluit. Surgens enim
a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Et lingua mea adhesit faucibus meis. Lingua domini evan-
gelica est predicatio, que faucibus eius adhesit, quia in apostolis firmiter constituta permansit. Fauces enim Christi recte dicuntur apostoli. Sicut
enim nos faucibus cibos commolimus ut in corpus nostrum facilius transmittantur, sic sancti apostoli sua predicatione infidelium duri-
tiam conterunt, ut eos in corpus ecclesie transfundant. Hinc beato Petro de animalibus omnium generis sibi celitus ostensis dictum est:
Surge Petre, occide et manduca. Cassiodorus per linguam Christi predicatores verbi eius apostolos vult intelligi, qui faucibus eius ad-
heserunt, quia precepta eius implere studuerunt. Ille enim faucibus Christi inheret, qui mandata eius que per fauces accipiunt sine
cessatione custodit. Et in pulverem mortis deduxisti me. Quomodo se dicit in pulverem mortis deductum, cum caro eius cor-
ruptionem non viderit? Sed hoc secundum Iudeorum votum et opinionem dictum est, qui se putabant eum communi morte extinx-
isse, hoc est scelestorum manibus peremissum. Ipsi enim sunt pulvis qui a facie terre vento proicitur. Quoniam circumdederunt me canes
multi. Eosdem nunc appellat canes, quos et superius vitulos. Vitulos scilicet propter lasciviam, canes autem propter rabiem et fe-
rocitatem, et quia rabidos ac insanos latratus edebant adversus Christum dicentes: Tolle, tolle, crucifige eum. Consilium ma-
lignantium obsedit me, id est mala facientium. Hoc factum est mane, quando congregati sunt maiores principis sacerdotum
cum Anna et Caipha pluribusque aliis. Foderunt manus meas et pedes meos, id est clavis confixerunt. Et ecce hic aperte passionem Christi
describere incipit. Fossa autem admodum punctur, que fodit ut fructus afferat. Sic et terra dominice carnis fossa est, id est per-
forata clavis passionis, ut proferret fructus nostre salutis et redemptionis. Sive etiam foderunt manus Christi Iudei, id est opera
eius calumniati sunt dicentes eum in Beelzebub principe demoniorum eicere demonia. Et pedes eius, id est apostolos, de quibus
dicitur: Quam speciosi pedes evangelizantium bona. Hos itaque foderunt, quando eos calumniis insectantes de finibus suis
expulerunt. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Christus enim in cruce ita extensus est, ut omnia ossa eius dinumerari possent, etiam que
ante tegebantur. Intuentes quoque illum Iudei ita extensum nulla movebantur pietate, sed dinumerabant ossa eius. Unde et
sequitur: Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me. Consideraverunt ita extensum ut dictum est, et inspexerunt siccis oculis. Divi-
serunt sibi vestimenta mea. Quattuor milites fuerunt in passione domini, qui sibi eius vestimenta coperuerunt, quattuor ex eis
particiones facientes. Superfuit vero tunica inconsutilis desuper contexta, quam non sciderunt, sed cuius esse deberet sorte elegerunt,
B e qua et dicit: Super vestem meam miserunt sortem. Que vestimenta non incongrue divinam possumus interpretari scripturam. Sicut
enim vestis adheret corpori, ita omnis scripture divine textura Christo congruit et in ipso impleta fuit. Milites autem
qui ibi hec vestimenta diviserunt hereticos significant, qui sacre scripture vestem sibi dividunt. Quod autem sortes misse dicuntur,
divine voluntatis indicium exquisierunt. Sortes vero non ab uno sed a pluribus fieri debent, cum precum et orationum instantia,
quatinus ita voluntas patenter fiat divina. Iuxta quod Salomon ait: Sortes mittuntur in sinum, sed a domino temperantur. Et apostolos
sortes dedisse legimus, que procul dubio nihil fuerunt aliud nisi id quo sibi divinam sententiam declarari poposcerunt.
R Possumus et per vestimenta in quattuor partes divisa sanctam ecclesiam intellegere in quattuor partibus per apostolorum predicati-
onem dilatatam. Tunicam vero indiscissam fidei unitatem, que desuper contexitur, quia quicquid boni habet a deo se accipere con-
fidit. Iuxta quod alibi dicitur: Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est descendens a patre luminum.
C Cur autem dominus hoc genus mortis crucis videlicet elegerit, magna dispensatione actum credere debemus. Legi-
mus quippe quia voluerunt eum de supercilio montis, super quem civitas illorum sita erat, precipitare. Sed noluit. Voluerunt eum
lapidare, sed prohibuit. Elegit autem genus mortis quod facile potest manu uniuscuiusque exprimi, de crucis dico
signaculo, quo ab omnibus inimicorum temptationibus et liberemur adversitatibus. Nam si lapidibus interisset, semper nos saxa in
manibus circumferre necesse esset. Ostendit etiam ipsa positione sua ingens mysterium dominice crucis lignum.
F Rectum enim ab ea parte sui qua sursum erigitur orientem respicit, ab inferiore parte qua terram penetrat infer-
num spectat, alio latere orientem intuetur. Duobus brachiis aquilonem et meridiem complectitur. In quo ostendit

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 44 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/44)